MEMORIAM

IOANNIS AUGUSTI ERNESTII

D. XX. MENS. OCTOBR. HORA XII.

IN AUDITORIO AUGUSTEI XUII.

SOLLEMNI ORATIONE CELEBRANDAM

INDICIT

REINHOLDUS KLOTZ

DR. PH. PHILOL. CLASS. PROF. P. O. TRIUM UIRUM SEMINARIO PHILOL. REG. DIRIGUNDO ORDINIS REG. SAX. BENE MERITORUM EQUES CET.

ORDINIS PHILOSOPHORUM H. T. DECANUS.

ANTEPOSITA EST ADNOTATIONUM CRITICARUM AD M. TULLII CICERONIS LIBRUM DE NATURA DEORUM PRIMUM PARS TERTIA.

LIPSIAE MDCCCLXUIII.

FORMIS DESCRIPSIT ET UENUMDAT A. EDELMANNUS

LIBRARIUS ACADEMICUS.

Quom nuper M. Tullii Ciceronis librum de natura deorum primum ad artis criticae praecepta ita reuocarem, ut, quae temporis iniuria in eo libro legerentur uerba corrupta, ea emendare studerem, in prima harum adnotationum criticarum parte potissumum eos locos tractaui, qui non possent sanari nisi per coniecturam, in altera harum adnotationum parte de iis locis dixi, qui auctoritate optumorum librorum secus atque usque adhuc factum esset constituendi aut etiam seruata librorum scriptura aliter enarrandi esse uiderentur ac uisum esset plerisque grammaticis: nunc uenio ad illos huius libri locos, in quibus grammaticis manus interpolatrix uersata esse uisa est: qua in causa uereor ne citius quam uerius homines docti saepe iudicauerint, non cogitantes oratorem Romanum clarissumum non tam doctis quam omnibus ciuibus suis populari ratione praecepta philosophiae tradere uoluisse, ut saepe minus seueras artis dialecticae leges quam eloquentiae abundantiam spectasse uideatur.

Ac primum quidem Io. Georg. Baiterus nuper, id est anno huius saeculi LXIIII., c. 1 §. 2. sic Ciceronis uerba constituit: uelut in hac quaestione plerique, quod maxume ueri simile est et quo omnes natura duce uenimus, deos esse dixerunt, dubitare se Protagoras, nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaeus [putauerunt], quibus in uerbis laudandus est uir doctissumus quod optumorum librorum auctoritate uenimus pro olim uolgato uehimur restituit, non laudandus fortasse, quod e cod. Glogauiensi contra optumorum librorum auctoritatem Cyrenaeus pro Cyrenaicus scripsit

collato Ciceronis loco Disput. Tuscul. I. 43, 102., si quidem Cicero in his rebus sibi parum constat, uituperandus uero est Baiterus, quod auctore I. Bakio uerbum putauerunt suppositicium esse existumauit et uncis circumdedit. Etenim si uerbum putauerunt, quod omnes libri eo loco habent, omiserimus, sententia quidem totius loci intellegi poterit, quia repetere mente possumus dixerunt e superiore oratione, locutio autem Latina, quam M. Tullius in his quoque de philosophia libris elegantissumam repraesentare studuit, concidet: itaque multo melius rem agemus, si ex nostra dicendi scribendique ratione, quam ego in edendis ueterum libris non soleo sequi nisi docendi causa, haec uerba ita conformabimus: uelut in hac quaestione plerique — deos esse dixerunt, dubitare se Protagoras (nempe dixit); nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putauerunt, ita ut uerbum putauerunt, quo uerbo saepe M. Tullius in referendis philosophorum decretis similiter usus est, non sine aliquo orationis pondere enuntiato finem inponat. Non minus inprobandum nobis uidetur, quod idem Baiterus eodem Bakio auctore in simili causa infra c. 5. § 11. scripsit: quod non Academiae uitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse; nam si singulas disciplinas percipere magnum est, quanto maius omnis? quod facere iis necesse est, quibus propositum est ueri reperiendi causa et contra omnis [philosophos] et pro omnibus dicere; cuius rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse prae me fero. Nam quod Baiterus cum Bakio nomen philosophos suppositicium esse putauit, id mea quidem sententia nullam probabilitatis speciem prae se fert propterea, quia, si omisso isto nomine uerba contra omnis et pro omnibus ita intellegere uelimus, ut disciplinas, quod ante legitur, mente adsumamus, ex nostra quidem dicendi sentiendique ratione recte se res habere uideatur, uerum populare illud dicendi genus, quod Cicero in his quoque libris secutus est, istam rationem repudiat. Aliter enim dicitur supra: haec in philosophia ratio contra omnia disserendi, quibus in uerbis quem ad modum contra omnia intellegendum sit primum ipsum uerbum omnia, quod est generis neutri, ostendit,

tum etiam uerba ea, quae explicandae sententiae causa adiunguntur: nullamque rem aperte iudicandi, satis demonstrant, hoc autem loco si disciplinas intellegimus, parum Latina, si masculini generis omnis et omnibus esse putamus, falsa omnino oratio est, ut Cicero paene necessario scribere debuisse uideatur id, quod ab eo scriptum esse libri omnes testantur: quibus propositum est ueri reperiendi causa et contra omnis philosophos et pro omnibus dicere.

Paulo post in omnibus libris, qui sunt melioris notae, leguntur uerba §. 12. ita fere scripta: ex quo existit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia uisum quendum haberent insignem et inlustrem, iis sapientis uita regeretur, nisi quod in cod. B. scriptum est ex quo exsistit et illud, id utrum recipiendum sit necne alia quaestio est, quam hoc loco omittere possumus, exsistit autem tempus uerbi praesens, quamquam omnes fere critici falsum esse pronuntiauerunt, quia, quasi praeteritum uerbi tempus praecessisset, deinceps perciperentur et regeretur diceretur, nunc tamen obtinendum esse censeo, qua de re paulo post dicam. Etenim totam hanc sententiam: Ex quo exsistit illud — iis sapientis uita regeretur, Heindorfio auctore I. G. Baiterus omittendam esse censuit, quod ego minume conprobare possum. Haec enim sententia, quae similis legitur in Ciceronis Academic. prior. lib. II. 31, 99. et lib. de officiis II. 2, 7., ab hoc loco minume aliena est, in quo si commemorauit Cicero illam Academicorum doctrinam, rem ad certum quendam finem perducere debebat, non in media sententia desinere, quod tum fieret, si uerbis his positis: Non enim sumus ii, quibus nihil uerum esse uideatur, sed ii, qui omnibus ueris falsa quaedam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa iudicandi et adsentiendi nota, omissis quae nunc in libris interposita sunt uerbis statim pergeretur: Sed iam, ut omni me inuidia liberem, ponam in medio sententias philosophorum de natura deorum. Nam debebat Cicero eodem modo, quo ante uerbis his: Nec tamen fieri potest, ut qui hac ratione philosophentur, ii nihil habeant quod sequantur, ostenderat reuocari hoc a ratione et doctrina ad usum uitae et res ueras, item etiam in hoc enuntiato, quod rei copiosius

explicandae causa adiunxerat, facere, ut non aliter atque id fit in locis supra laudatis Academic. prior. II. 31, 99. de officiis II. 2, 7., hic quoque ostenderet Academicorum disciplinam etiam ad uitam regendam satis praesidii in se continere, id quod rectissume fit his ipsis, quae in libris leguntur, uerbis: ex quo exsistit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia uisum quendam haberent insignem et inlustrem, iis sapientis uita regeretur. Quod autem homines docti existumauerunt parum elegantem esse hanc orationem Latinam: quae quamquam non perciperentur, tamen, quia uisum quendam haberent insignem et inlustrem, iis sapientis uita regeretur, atque aut scribendum fuisse: quibus, quamquam non perciperentur, tamen — sapientis uita regeretur, aut etiam ita: quae quamquam non perciperentur, tamen — sapientis uitam regerent, res admodum nota est, saepe et in Graeco et in Latino sermone, ubi semel pronomine relatiuo uis totius sententiae relatiua significata est, ibi altero loco, ubi alius pronominis casus requiritur, non relatiuum pronomen, uerum pronomen is poni, ueluti in notissumo illo Ciceronis loco e Bruto 74, 258. sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc uixerant nec eos aliqua barbaries domestica infuscauerat, recte loquebantur, uide quae Fr. Ellendtus ad h. l. adnotauit p. 414. ed. alt. Hoc igitur loco, quoniam pronomen relatiuum primis plerumque uerbis enuntiati relatiui, etiam si bipartitum est, adsimulari solet, qua de re dixi in Quaest. Tullian. lib. I. p. 18 sq. exemplis usus eius modi, quale est Ciceronis pro L. Flacco 36, 90. Ergo is, qui si aram tenens iuraret, crederet nemo, per epistulam quod uolet iniuratus inpetrabit, ubi Orellius olim scribi uoluit falso: cui, si aram tenens iuraret, crederet nemo etc., hoc, inquam, loco, quum pronomen relatiuum quae ad priorem enuntiati relatiui partem accommodatum esset et scriptum: quae quamquam non perciperentur etc. pro quibus, quamquam (ea) non perciperentur, necessario in altera enuntiati relatiui parte casus pronominis relatiui inmutandus erat itaque scriptum est, quoniam duplex relatio non poterat inferri, iis, ubi exspectaueris, si quidem pronomen relatiuum priori

enuntiati parti non adhaeresceret, quibus. Id ita recte atque ordine fit, ut peritissumus quisque Latinae linguae eo minume offendatur. Sed hoc ipsum iam rectissume G. F. Schoemannus explicauit p. 41. ed. tert. Reliquum est, ut ostendam ne illud quidem, quod Heindorfio aliisque offensioni fuit, quod post uerba: ex quo exsistit illud, multa esse probabilia, inferuntur praeterita perciperentur et regeretur, tantum ualere, ut haec a Cicerone scripta esse non posse uideantur. Etenim etsi facile exsistit in exstitit mutari potest, id quod factum est a multis criticis, tamen, etiam si retinemus traditam in libris scripturam exsistit, nihil est in his uerbis quo iure offendamur. Neque enim ab isto uerbo praeterita illa suspensa sunt, uerum ab illa ui et significatione, quae inest in pronomine illud, quo non uis praesentis rei, quae nunc fiat, sed uis dicti alicuius praeteriti, quod iam in uulgus emanauerit, continetur, ut rectissume quasi post uerbum praeteritum inperfecta illa perciperentur et regeretur inferantur. Persimilis causa eius loci est, quem eundem iniuria nuper quidam grammatici supposititicium sine idonea causa esse putauerunt, qui legitur infra c. 27. §. 77. his uerbis conceptus: Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulcrius quam hominem putaret, eam esse causam, cur deos hominum similis putaremus? quo quidem in loco quod e libris correctis putemus pro putaremus, quod meliores libri omnes seruant, critici recipiendum existumauerunt, idoneam rationem non habet, quum ea ipsa uox eam esse causam non tam ad praesentem rem, quam ad praeteritam pertineat. Eis enim uerbis haec fere sententia continetur eo esse factum, ut deinceps rectissume putaremus scribi potuerit. Quod autem Maduigius opinatus est haec uerba: eam esse causam cur deos hominum similis putaremus, addita esse cum magno sententiae detrimento, quum non intellegeretur usus formulae: quid igitur mirum, si cet., id quo iure dixerit, prorsus non uideo. Neque enim illud, quod uerbis: si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulcrius quam hominem putaret, continetur, in dubium uocatur, quod tum fieret, si illa formula: Quid igitur mirum, si cet. hic haberetur: dixerat enim supra M. Tullius sine

ulla dubitatione: Accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine pulcrius nihil videtur: uerum is, qui loquitur, rationem potius reddere studet, quam ob rem homines hominum similes deos putauerint. Itaque tantum abest, ut haec uerba, quae in omnibus libris eodem modo scripta leguntur, suppositicia putari possint, ut aptissuma esse uideantur ad demonstrandum id, quod hoc loco erat demonstrandum. Quod si Schoemannus p. 80. ed. tert. superuacanea haec uerba fuisse existumat, primum ueram totius loci rationem non perspexerat, deinde non reputauit, quam multa abiicienda essent e Ciceronis oratione, si omnia, quae abundantia esse uiderentur, remouere uellemus.

Sequitur alius locus, qui in libris fere omnibus ita scriptus legitur c. 7. §. 16. Atqui mihi quoque uideor, inquam, uenisse, ut dicis, opportune. Tres enim trium disciplinarum principes conuenistis: M. enim Piso si adesset, nullius philosophiae, earum quidem, quae in honore sunt, uacaret locus. Hoc loco quom libri meliores pro M. enim Piso scriptum habeant M. N. vel m. n. piso, dubitari potest, utrum enim eo loco retinendum an etiam scribendum sit, aliis etiam particula omittenda esse uisa est omnino. Sed hoc non persequar hoc tempore, illud uideo non recte factum esse, quod nuper I. G. Baiterus auctore Bakio nomen philosophiae post nullius omisit, ut ex uerbis, quae ante leguntur, adsumenda uox disciplinae uideatur. Cur enim, quod in libris omnibus habetur, si totius loci sententiae accommodatum est, omittatur? philosophiae autem nomen non solum uniuersam quae dicitur sapientiam, uerum etiam singulas philosophiae disciplinas significat, ueluti in M. Tullii Academicorum prior. lib. II. 19, 61. Tune, quum tantis laudibus philosophiam extuleris Hortensiumque nostrum dissentientem conmoueris, eam philosophiam sequere, quae confundit uera cum falsis, spoliat nos iudicio, priuat approbatione, omnibus orbat sensibus? et eodem, quo hic modo etiam numerus huius nominis pluralis usurpatur, ueluti in M. Tullii libro de oratore III. 27, 107. quae exercitatio nunc propria duarum philosophiarum, de quibus ante dixi, putatur. conf. Gellii lib. II. 28, 1.

Sed uix mihi concessum est hac scriptione omnes persequi huius libri locos, in quibus interpolationem olim uersatam esse docti statuerunt, ut de eadem re etiam deinceps mihi dicendum esse uideatur. Interea uenio ad eam rem, quae mihi huius scriptionis occasionem dedit. Recolenda est enim memoria Ioannis Augusti Ernestii nostrae Uniuersitati litterarum, de qua optume olim uir egregius meruit, ille uir, qui non solum omnes laudatarum artium disciplinas, quo fuit ingenii acumine et doctrinae elegantia, dum in uita fuit, adiuuit, auxit, amplificauit, uerum etiam in M. Tullii libris emendandis et enarrandis ita uersatus est, ut etiam nunc, qui in simili causa uersatur, eius merita grato pioque animo meminisse debeat. Huius igitur summi uiri memoriam hoc anno retintegrabit uir litterarum laude clarissumus Alfredus Schoene, philosophiae professor extraordinarius design., oratione, quam de antiquissumis rerum scriptoribus Graecis die XX. mens. Octobris in auditorio Augustei XUII. hora XII. habebit, ad quam orationem audiendam, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, FAUTORES ET PROCERES UTRIUSQUE REI PUBLICAE, COMMILITONES HUMANISSUMI ATQUE ORNATISSUMI frequenter conuenire uelint ea qua par est obseruantia rogamus.

Dat. d. XII. mens. Octobr. a. MDCCCLXUIII.

RECTOR

COMMILITONIBUS

CERTAMINA ERUDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCLXUIIII

INDICIT.

Anteposita est Reinholdi Klotz *adnotationum criticarum ad M. Tullii Ciceronis librum de natura deorum primum pars quarta.*

LIPSIAE

FORMIS DESCRIPSIT ET UENUMDAT A. EDELMANNUS

LIBRARIUS ACADEMICUS.

In adnotationum criticarum ad M. Tullii Ciceronis librum de natura deorum primum parte tertia; quam nuper edidi, de locis eius libri, in quibus aut uerba singula aut tota enuntiata in interpolatioonis suspitionem adducta essent, dicere coeperam: iam reliquum est, ut id argumentum absoluam. Legimus enim in libro de natura deorum primo c. 12. §. 30. haec uerba in omnibus fere libris sic scripta: Iam de Platonis inconstantia longum est dicere, qui in Timaeo patrem huius mundi nominari neget posse, in legum autem libris quid sit omnino deus anquiri oportere non censeat. Quod uero sine corpore ullo deum uult esse, ut Graeci dicunt ἀσώματον, id quale esse possit intellegi non potest: careat enim sensu necesse est, careat etiam prudentia, careat uoluptate: quae omnia una cum deorum notione conprehendimus. In his uerbis Heindorfio auctore quum alii tum I. G. Baiterus nuper uerba: ut Graeci dicunt ἀσώματον, suppositicia esse putauit eaque uerba uncis circumclusit. Haec opinio etsi inde aliquam auctoritatem nancisci potest uideri, quod Plato in illo, de quo agitur, Timaei loco p. 28. c. ed. H. Steph. hoc adiectiuo usus non est, tamen falsum est propterea, quod Cicero minume ipse hanc partem operis sui e Platonis aut aliorum philosophorum, quos nominat, libris conposuit, uerum perfectam a scriptore Graeco accepit, qui sine dubio ea ipsa uoce erat usus, quam Cicero, qui usitato more uerbis sine corpore notionem Graeci adiectiui expresserat, quoniam ipse incorporeus non ausus est dicere, quamquam adiectiuum corporeus usurpauit, propterea apposuisse uidetur, quo plenius id, quod

apud Graecum auctorem inuenerat, redderet. Baiterus igitur eo minus mea quidem sententia de hoc loco debebat dubitare, quod G. F. Schoemannus haec iam recte uidisse uidetur, qui hoc quidem loco de librorum auctoritate non dubitauit atque omnia haec, ut sunt, Ciceronis esse putauit. Contraria causa est c. XIIII. §. 36., ubi I. G. Baiterus iure librorum auctoritatem ita obtinuit in his uerbis: Aliis autem libris rationem quandam per omnem naturam rerum pertinentem ui diuina adfectam esse putat., ut de uerbo adfectam minume dubitaret, quod in interpolationis suspitionem uocauerat G. F. Schoemannus, qui ne nouissuma quidem editione eo adduci potuit, ut hanc uocem uncis liberaret. Dicitur autem rectissume ui diuina adfectum esse id, cui diuinitatem hominum opinio tribuit, eodem iure, quo Cicero ipse Disput. Tuscul. lib. V. 37. §. 81 scripsit: ut optuma quisque ualetudine adfectus potest uideri natura ad aliquem morbum procliuior, sic animus alius ad alia uitia propensior, atque eodem modo, quo Cicero hoc libri de natura deorum loco locutus est, loquitur paulo post c. 15. §. 38. At Persaeus, eiusdem Zenonis auditor, eos esse ait habitos deos, a quibus magna utilitas ad uitae cultum esset inuenta, ipsasque res utilis et salutaris deorum esse uocabulis usurpatas, ut ne hoc quidem diceret, illa inuenta esse deorum, sed ipsa diuina. Quo quid absurdius quam aut res sordidas atque deformis deorum honore adficere aut homines iam morte deletos reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu? Similiter, quamquam alio quodam modo, dicitur infra lib. III. 26, 67. Uidesne igitur quanto munere deorum simus adfecti? Itaque illo loco, unde digressa nostra oratio est, mihi uidetur de uerbo adfectam, quod recte etiam Baiterus, ut diximus, obtinuit, dubitari nullo modo posse. Difficilior ratio esse uidetur, nec tamen re uera est, si rem recte consideramus, eorum uerborum, quae paulo post in omnibus libris leguntur: Quum uero Hesiodi Theogoniam, id est originem deorum, interpretatur, tollit omnino usitatas perceptasque cognitiones deorum: neque enim Iouem neque Iunonem neque Uestam neque quemquam, qui ita ap-

pelletur, in deorum habet numero, sed rebus inanimis atque mutis per quandam significationem haec docet tributa nomina. Hoc quidem in loco inde a P. Manutio omnes fere critici de uerbis id est originem deorum dubitauerunt eaque plerique suppositicia esse pronuntiauerunt. Id quod mihi iam secus esse uidetur. Tantum enim abest, ut Cicero uerbis his Hesiodi Theogoniam nihil nisi inscriptionem libri Hesiodei significare uoluerit, ut argumentum ipsum earum rerum, quae illo carmine continerentur atque explicarentur, indicare studuerit. Atque minume illud, quod adiungitur post Graecam libri appellationem, superuacaneum est, quod non solum nomen libri ponitur, uerum etiam eo, quod inscriptio exponitur uerbis Latinis, indicatur, quod potissumum argumentum in eo carmine tractetur, quia sic optume intellegitur quam ob rem Zeno in interpretando illo ipso carmine usitatas perceptasque cognitiones deorum tollere potuerit. Ne quis autem hoc dicat, homines Latinos, quorum utilitati his libris Cicero inseruire uoluisset, ipsos intellecturos fuisse, quid sibi haec inscriptio theogonia uel *θεογονία* uellet, conmemorandum est, Ciceronem his de philosophia Graeca scriptis libris omnibus omnia Graeca uocabula, quae non suae linguae usu cotidiano percepta essent, Latinis uocabulis singulis aut etiam pluribus explicauisse aut ita, ut rem Latinis uerbis proponeret et post adderet quo Graeco uocabulo appellaretur, ut loco superiore §. 30., aut etiam sic, ut Graecum uocabulum proponeret idque Latinis uerbis interpretaretur, ut hoc ipso loco, eos autem et olim errauisse et etiam nunc errare, qui eius modi interpretationes uocabulorum Graecorum aut circumlocutiones e Ciceronis oratione contexta amouere in animum induxerint.

Hoc adeo, si placet, quoniam Bataui maxime philologi, quum eius modi emblemata, quae uocant, e Ciceronis scriptis eiecerunt, criticam artem praeclare sibi exercuisse uidentur, paulo diligentius consideremus.

Et in hoc quidem libro c. 8. §. 18. legimus: nec anum fatidicam, Stoicorum *πρόνοιαν*, quam Latine licet prouidentiam dicere, et uidemus scriptorem uocabulum Graecum notissumum Latina uoce interpretari, idemque agnoscimus §. 20. in uerbis his: Hunc censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam, id est naturae rationem,

qui quidquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? ubi olim uerba id est naturae rationem in interpolationis suspitionem uocata sunt, quae quum illo quo semper Cicero utitur more in his libris satis defenduntur, tum simili loco, qui est de diuinatione lib. I. 41, 90. qui naturae rationem, quam φυσιολογίαν Graeci appellant, notam esse sibi profitebatur. Magis etiam mirum uideri potest, quod legitur c. 8. §. 43. quae est enim gens aut genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intellegi quidquam nec quaeri nec disputari potest. cf. c. 14. §. 44. Nam in hoc loco quum iam Latinam uocem anticipationem posuisset, addidit tamen deinceps id est anteceptam animo rei quandam informationem, ne minume dubitatio de re non difficili relinqueretur. Eodem modo c. 19. §. 50. re ipsa explicata his uerbis: in qua intellegi necesse est eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant, pergit iam sic: hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est aequabilem tributionem, ut explicata iam rei notione tamen positum Graecum nomen rursus noua interpretatione Latina reddiderit. cf. c. 39. §. 109. confugis ad aequilibritatem — sic enim ἰσονομίαν, si placet, appellemus. Similiter loquitur c. 20. §. 55. Hinc uobis exstitit primum illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην dicitis, ut, quidquid accidat, id ex aeterna ueritate causarumque continuatione fluxisse dicatis., quibus in uerbis, tametsi propter personam, quam adloquitur, aliter orationem conformauit, tamen ei, qui librum legeret, rem admodum perspicue proposuit, ut de Graeci uocabuli ui ac significatione dubitari plane non posset. Tum §. eadem pergit sic: Sequitur μαντικὴ uestra, quae Latine diuinatio dicitur, ut notissumum uocabulum Graecum etiam in eius modi appellatione personae Latine reddere non dubitauerit, sicuti hoc idem etiam multo uberius fecit in libro de diuinatione primo c. 1. §. 1. Uetus opinio est — uersari quandam inter homines diuinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, id est praesensionem et scientiam rerum futurarum, ut illo loco hoc idem

fecerit, quod multis locis in hoc ipso libro factum est ad quem nostra disputatio proprie pertinet. Etiam c. 21. §. 59. Cicero in uerbis his: Zenonem, quem Philo noster coryphaeum appellare Epicureorum solebat, audiebam frequenter etc. quod usurpauerat nomen Graecum coryphaei, mox ita reddit, uerbis: quum a principe Epicureorum accepissem etc., ut pro coryphaei principis nomen reponat, non eius causa, quicum loquitur, sed causa eius, qui librum Graecae linguae minus gnarus legat. Tum c. 30. §. 83. legimus: Non pudet igitur physicum, id est speculatorem uenatoremque naturae, ab animis consuetudine inbutis petere testimonium ueritatis? ubi frustra fuerunt, qui uerba: id est speculatorem uenatoremque naturae, eiicere uoluerunt. Neque enim sine idonea causa hoc ipso loco Cicero quid uox physici sibi uellet explicauit. Non minus §. 85. in uerbis his: Itaque in illis selectis eius breuibusque sententiis, quas appellatis *κυρίας δόξας*, haec, ut opinor, prima sententia est. satis aperte Cicero indicat quid Graeca uox *κύριαι δόξαι* sonet, id, quod alio loco, qui est in libro de finibus II. c. 7. §. 20. multo etiam copiosius fecit uerbis his: In alio uero libro, in quo breuiter conprehensis grauissumis sententiis quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his uerbis, quae nota tibi profecto, Torquate, sunt: quis enim uestrum non edidicit Epicuri *κυρίας δόξας*, id est quasi maxume ratas, quia grauissumae sint ad beate uiuendum breuiter enuntiatae sententiae? ita tamen, ut ea, quae Cicero explicandorum Graecorum uerborum causa scripsit, nullo modo in interpolationis suspitionem uocari possint. Etiam in altero de natura deorum libro Cicero in Graecis uocabulis explicandis eadem fere ratione utitur, ut c. 18. §. 47., ubi haec uerba legimus: quumque duae formae praestantes sint, ex solidis globus — sic enim *σφαῖραν* interpretari placet —, ex planis autem circulus aut orbis, qui *κύκλος* Graece dicitur etc. et c. 20. §. 53. Infuma est quinque errantium terraeque proxuma stella Ueneris, quae *Φωσφόρος* Graece, Lucifer Latine dicitur, quum antegreditur solem, quum subsequitur autem, *Ἕσπερος*. c. 22. §. 58. legimus: natura mundi

omnis motus habet uoluntarios conatusque et appetitiones, quas ὁρμὰς Graeci uocant etc. et paulo post: Talis igitur mens mundi quum sit ob eamque causam uel prudentia uel prouidentia appellari recte possit — Graece enim πρόνοια dicitur — haec potissumum prouidet etc. De προνοίᾳ conf. lib. I. 8, 18., de ὁρμαῖς autem Academicorum prior. II. 8, 24. de finibus III. 7, 23, IIII. 14, 39. V. 6, 17. de officiis I. 28, 101. II. 5, 18. Deinde huius lib. II. c. 25. §. 64. dicitur: Κρόνος enim dicitur, qui est idem χρόνος, id est spatium temporis. cf. c. 23. §. 66. Terrena autem — natura Diti patri dedicata est, qui Diues, ut apud Graecos Πλούτων. Eodem libro c. 29. §. 73. in omnibus libris legimus: Uelut a te ipso hesterno die dictum est anum fatidicam πρόνοιαν a Stoicis induci, id est prouidentiam. Non enim id potest offensioni esse, quum uideamus a Cicerone non solum totiens ὁρμὴν aut ὁρμὰς eodem fere modo explicari, uerum etiam hoc ipsum προνοίας nomen exponi saepius, ueluti lib. I. 8, 18. II. 22, 58. neque inpedit appellatio personae, ut iam supra uidimus, quo minus scriptor eius causa, qui librum legat, Graeca nomina interpretetur. Deinceps c. 37. §. 94. legimus similiter: non qualitate aliqua, quam ποιότητα Graeci uocant etc. Neque id, quod c. 43. § 111. inuenimus scriptum:

Has Graeci stellas Hyadas uocitare suërunt

a pluendo: ὕειν enim est pluere: nostri inperite suculas, quasi a subus essent, non ab imbribus nominatae., quo in loco nuper etiam haesitatum est a criticis, offensioni esse potest, si consideramus quotiens in his ipsis de philosophia libris Cicero in Graecis uocabulis interpretandis ita uersatus sit, ut non semel, sed iterum similiter in uno eodemque loco idem uocabulum explanauerit. Adde huc ex Ciceronis Arateis, quae infra c. 44. §. 114. leguntur: Antecanem, Προκύων Graio qui nomine fertur. Etiam in tertio de natura deorum libro hanc eandem rationem in Graecis uocabulis reddendis Cisecutus est, uelut c. 6. §. 15. consilium illud inperatorium fuit, quod Graeci στρατήγημα appellant etc. et c. 11. §. 28. estque in ea iste quasi consensus, quam συμπάθειαν Graeci uocant.

conf. lib. de diuinatione II. 14, 34. II. 60, 124. II. 69, 142., quibus locis similiter haec eadem uox Graeca uerbis Latinis redditur. Haec igitur qui reputauerit, non facile eius modi locis offendetur, in quibus Graeca uocabula tam saepe et tam copiose a Cicerone Latinis uerbis exponuntur, ut nobis, qui Graecae linguae gnari sumus, eius modi expositiones, maxume frequentiores, paene molestae esse uideantur.

Idem studium Graeca uocabula ad uerbum Latine reddendi etiam in ceteris Ciceronis de philosophia libris, ut iam supra diximus, satis conspicuum est. Et in Academicorum quidem post. lib. I. 8, 30. legimus: Hanc ille *ἰδέαν* appellat, iam a Platone ita nominatam, nos recte speciem possumus dicere. conf. Disput. Tusc. lib. I. 24, 58. Tum in Academicorum post. lib. I c. 8. §. 32. dicitur: Uerborum etiam explicatio probabatur, id est, qua de causa quaeque essent ita nominata, quam *ἐτυμολογίαν* appellabant, ad quem locum uberior eiusdem uerbi expositio conferri potest, quae legitur in Topicis 8, 35. Multa etiam ex notatione sumuntur. Ea est autem, quum ex ui nominis argumentum ducitur, quam Graeci *ἐτυμολογίαν* uocant, id est, uerbum ex uerbo, ueriloquium, nos autem nouitatem uerbi non satis apti fugientes genus hoc notationem appellamus, quia sunt uerba rerum notae. Deinceps l. supra c. 11, 40. quos (sensus) iunctos esse censuit e quadam quasi inpulsione oblata extrinsecus, quam ille *φαντασίαν*, nos uisum appellemus licet, et paulo post § 41. eodem modo Graecum uerbum *καταληπτὸν* explicatur. Conf. de his Academicorum prior. II. 6, 18. In Academicorum prior. lib. II. 5, 15. similiter Graeca uox *εἰρωνεία* uberius explicatur et 7, 22. *ἔννοιαι* notitiae dicuntur, de quibus conferri etiam potest Acad. prior. II. 10, 30. Top. 7, 31. de finibus III. 6, 21. Disput. Tusc. I. 24, 57. Sic Cicero etiam quod in Academicorum prior. II. 9, 27. *δόγματα* per decreta interpretatus posuerat, repetit rursus §. 29. et ceterorum uerborum Graecorum, quibus utitur, plerumque non solum uim ac potestatem Latine ponit, uerum etiam uerbum e uerbo exprimere studet, ut appareat eum etiam iis, qui linguae Graeci ignari essent, satis

facere uoluisse, ut c. 6. §. 17. et c. 10. §. 31. et c. 47. §. 145., ubi *κατάληψιν* ad uerbum uoce conprehensionis reddere studet, quamquam, si rem ipsam spectamus, uerius cognitio aut perceptio dici poterat, eaque uocabula, quae quis primis elementis litterarum Graecarum inbutus intellegere facile poterat, diligenter Latinis uerbis reddit, ueluti c. 18. §. 59., ubi legimus: Ex his illa necessario nata est *ἐποχή*, id est adsensionis retentio, et c. 24. §. 75., ubi sophismata exponuntur fallaces conclusiunculae, et c. 29. §. 93., ubi *ἡσυχάζειν* esse Latine quiescere dicitur, et §. 95., ubi *ἀξίωμα* per ecfatum exprimitur, et quae alia id genus multa sunt, conf. de hoc uocabulo, quod ultimo loco posui, Disput. Tusc. I. 7, 14. de fato 1, 1. 10, 21 sq.

Etiam in libris, qui sunt de finibus bonorum et malorum, M. Tullius uocabula Graeca semper ita Latinis reddere studet, ut, siue uno uocabulo utitur siue pluribus, tamen non solum uis et potestas uerborum, uerum etiam propria uocabulorum significatio accurate exprimatur, qua de re ipse se laudari facit a Q. fratre libro V extremo, et in his quoque libris tam diligenter uersatur in ea re, ut saepe ad uerbum omnia explicet, uelut lib. III. 16, 52. Ut enim, inquit, nemo dicit in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem — id est enim *προηγμένον* —, sed eos, qui in aliquo honore sunt, quorum ordo proxume accedit, ut secundus sit, ad regium principatum, sic in uita non ea, quae priore loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent, *προηγμένα*, id est producta nominentur: quae uel ita appellemus — id erit uerbum e uerbo — uel promota et remota uel, ut dudum diximus (III. 15, 51 sq.), praeposita uel praecipua et illa reiecta: re enim intellecta in uerborum usu faciles esse debemus, conf. lib. III. 26, 172.

Eandem rationem M. Tullius etiam in Disputationum Tusculanarum libris secutus est, ut Graeca uocabula fere ad uerbum interpretari Latine studeret, quod studium ipsum quibusdam locis criticis offensioni fuit, ueluti lib. III. 27, 65., ubi uerba: Quid ille Terentianus ipse se poeniens, id est *ἑαυτὸν τιμωρούμενος*? P. Manutio et D. Lam-

bino de interpolatione iniuria erant suspecta. Uoluerunt enim uerba: id est ἑαυτὸν τιμωρούμενος, omitti, quae Cicero omittere propterea non potuit, quod his omissis inscriptio fabulae, quae re uera erat Heauton timorumenus non satis exstitisset. Sic Cicero idem fecit, quod aliis quoque locis multis, ut explicationem Graeci uerbi ante poneret, et tum demum Graecum nomen, quod erat eius rei, de qua dixit, proprium adderet, neque quidquam in illo loco omittendum est. Eodem studio ductus M. Tullius etiam in Disput. Tusc. lib. V. 3, 7. sic orationem suam conformauit: Itaque et illos septem, qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris, et habebantur et nominabantur, et multis ante saeculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc urbem conditam traditur, et iam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientis: quo quidem in loco nuper Herm. Sauppe haesitauit atque iniuria uerba: qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris, et habebantur et nominabantur, in interpolationis suspitionem adduxit. Nam facile apparet quod post uerba: qui a Graecis σοφοί, adiungitur: sapientes a nostris, magis ad uerbi Graeci interpretationem quam ad uerba, quae sequuntur et habebantur et nominabantur, pertinere: quamquam quum per se hoc etiam ad Romanos una referri posset, nihil causae fuit, quam ob rem de omnium librorum scriptura hoc loco dubitaretur, itaque M. Seyffertus summo iure ea uerba nuper tutatus est.

Idem studium Graeca uocabula ita interpretandi, ut etiam ii, qui Graecae linguae minus gnari esse uiderentur, tamen ueram uerborum uim agnoscerent, apparet etiam in illis libris, qui sunt de diuinatione, quo in genere iam supra uidimus lib. I. 1, 1. dici: uersari quandam inter homines diuinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, id est praesensionem et scientiam rerum futurarum, quo quidem loco superuacanea uideri possunt uerba extrema: id est praesensionem et scientiam rerum futurarum, quae tamen in accurata eius rei, de qua agitur in his libris, definitione minume in interpolationis suspitionem uocanda sunt. Satis copiosa est etiam Ciceronis oratio lib. II. 44, 92. illi

orbes, qui caelum quasi medium diuidunt et aspectum nostrum definiunt, qui a Graecis ὁρίζοντες nominantur, a nobis finientes rectissume nominari possunt, ut nihil tamen ei superuacaneum esse uideatur, qui eius morem modumque dicendi cognitum habet. Etiam eodem libro 57, 118., ubi habemus haec uerba: Demosthenes quidem, qui abhinc annos trecentos fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est quasi cum Philippo facere, quo quidem in loco extrema uerba: id est quasi cum Philippo facere, eo facilius suppositicia uideri possunt, quia ilico dicitur: Hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret, ex quo licet existumare in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Nam ex istis uerbis facile etiam is, qui quid esset φιλιππίζειν ignorabat, quid ea uoce significaretur intellegere poterat. Sed non minore tamen iure illa uerba retinebimus quam seruanda uox Delphicis est post oraculis, quam nuper Maduigius eiiciendam esse pronuntiauit. Neque enim de aliis oraculis praeter ea, quae edebantur Delphis, agitur hoc loco, ut uox Delphicis minume superuacanea esse videatur. Uerba enim: ex quo licet existumare in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse, hoc sibi uolunt: hinc potest intellegi in aliis quoque oraculis Delphicis praeter ea, quae Pythia a Philippo corrupta edidisset, aliquid non sinceri fuisse.

Haec ego aliquanto longius persecutus sum, ut uniuersa ratione, qua Cicero in reddendis uocabulis Graecis in his de philosophia libris usus est, explicata facilius iudicari posset, quo iure critici ea, quae in eius modi locis superuacanea ipsis uiderentur, remouere uoluissent. Nam si usquam cauere debemus, ne ea, quae ab ipso auctore profecta sunt, uerba sine idonea causa in dubium uocemus, hic ea est cautione opus. Reliquum iam est nihil aliud nisi ut hoc loco pronuntiem me in harum adnotationum parte altera p. 8 sq. omisisse Plauti locum de Poenulo act. I. sc. 3. v. 31., quem locum iniuria ne Ferd. quidem Handius in Tursellini uol. III. p. 400 sq. in partem uocauit. Sed quum de hac eadem causa mox alio loco mihi dicendum sit, huius rei disceptationem in illud tempus differam et tantum modo hic commemorabo in eadem

adnotationum parte p. 20, 17. librarii errore aptius pro aptior scriptum esse.

Iam venio ad eam rem, quae mihi hanc scribendi operam inposuit. Indicandum enim est quo euentu Commilitones hoc anno de praemiis eruditionis concertauerint.

Ac Theologorum quidem Ordo splendidissumus haec ad nos rettulit: "Quaestionem a Theologorum Ordine propositam: '*Quo iure ecclesia paedobaptismo utatur,*' duo exstiterunt qui soluerent, prior quidem commentatione inscripta: *Οὐ δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας* etc. 2. Cor. 13, 8., posterior uero disputatione cui inscripsit: *Οὐχ ὑμεῖς ἐξελέξασθέ με* etc. Io. 15, 16. Utraque commentatio diligentiae, industriae, eruditionis specimen dedit tam laudabile, utraque suis ac peculiaribus uirtutibus adeo eminuit, ut utraque pretio digna iudicaretur. Uerum quum alterutra tantum pretio ornari posset, difficile profecto uisum est decernere, utra praeferenda esset. Prioris quidem commentationis auctor iudicium in rebus indagandis adhibuit tam acre operamque dedit ut uia ac ratione procederet, denique omnes quaestionis partes tam aequabili modo et stilo tam facili tractauit, ut, quamuis non nullis in locis acriter potius quam accurate iudicauisset, tamen pretio dignior haberetur. Alterius uero commentationis auctor, etsi caute ac moderate processit ac magis in scriptis theologicis uersatum sese exhibuit, tamen et rei indagandae subtilitas et stili Latini puritas non nunquam desiderata est, quam ob rem commentatio haec illi postponenda fuit. Nihilo minus idem auctor tantam exhibuit doctrinam atque diligentiam, ut et publica laude dignissumus iudicaretur et summis rerum Academicarum curatoribus ad praemium insigne percipiendum commendaretur.

Reclusis scidis inuentus est auctor commentationis pretio ornandae

CAROLUS AUGUSTUS KALICH,
tum temporis theologiae studiosus, nunc theologiae candidatus,

auctor alterius commentationis
ERWINUS BARO DE BERNEWITZ,
theologiae studiosus."

Ordini Iure consultorum, qui hanc quaestionem proposuerat: '*Examinetur num propter moram ab altera contrahentium parte factam alteri a contractu recedere liceat,*' una tradita erat dissertatio his uerbis inscripta: '*Honeste uiuere, alterum non laedere, suum cuique tribuere.*' Huius libelli scriptor quamquam Ordini grauissumo, in prima maxume parte dissertationis suae, laudabilem diligentiam et accuratam rei cognitionem probauit, tamen praemio ipso dignus existumatus non est, quod neque argumentum quaestionis ab omni parte absoluerat neque in enucleandis eorum, quos secutus est, sententiis omnia recte atque ordine persecutus erat quodque quo usus erat sermo aliquotiens reprehendendus erat. Ceterum auctori libelli propter operam et curam, quam in litterarum studiis posuisse existumatus est, ab Ordine Iure consultorum laudatio publica decreta est. Scidula aperta auctor inuentus est

EDWINUS LEUTHOLD
studiosus iuris.

Ab Ordine Medicorum binae quaestiones propositae erant, de quarum altera certatum non est. De altera, quae erat sic proposita: "*Nach einer neuern Ansicht (Schrön) soll die Hornschicht der Epidermis nicht aus den Zellen des rete Malpighi, sondern aus dem zelligen Ueberzug der Horndrüsen hervorgehen. Diese Annahme soll einer sachlichen Kritik unterworfen werden,*" duobus libellis certatum est. Horum libellorum auctores ambo rationes anatomicas, quae in quaestionem uocabantur, sua ipsorum opera exploratas et diligenter perquisitas ita exposuerunt, ut quod ipsi inuenerunt a nullo, qui posthac eandem rem tractabit, neglegi aut contemni possit. Quum in ipsa re exploranda et perscrutanda similes sint hi libelli, tamen alio quodam modo inter se differunt. Nam eo libro, qui ita inscriptus est: '*Der Irrthum ist viel leichter zu erkennen als die Wahrheit zu finden,*' ea, quae inuenta ab auctore sunt aut adhuc exploranda uidentur, multo maiore perspicuitate et acumine exposita sunt, ita ut Ordo gratiosissumus non dubitauerit huius libelli scriptori praemium tribuere. Scidula aperta inuentus auctor est

HENRICUS AUFFHAMMER
medicinae studiosus.

Ut tamen etiam auctori alterius libelli, qui ita inscriptus est: '*Agrum anatomicum iterum atque iterum iteraui,*' merita laus non deesset, Ordo Medicorum a summis rerum Academicarum curatoribus petere statuit, ut huic quoque scriptori aliquod pretium concedatur.

Ordini Philosophorum una tradita dissertatio est, quae argumentum ab altera classe Ordinis amplissumi propositum: "*In welchem Verhältniss steht Herbart's Begründung der Ethik durch aesthetische Urtheile zu Schiller's Idee einer aesthetischen Erziehung des Menschengeschlechtes?*" tractandum susceperat. Auctor eius libelli, qui his uerbis inscriptus erat: "*Die philosophirende Vernunft kann sich weniger Entdeckungen rühmen, die der Sinn nicht schon geahndet und die Poësie nicht schon geoffenbaret hätte,*" ingenio quidem satis ualuisse, sed parum studii operaeque in iis rebus cognoscendis, quas explicandas susceperat, posuisse nec ea diligentia, qua par erat, libellum conscripsisse existumatus est, ut Ordo amplissumus ei praemium concedere dubitauerit.

Iam argumenta, quae in annum, qui instat, ad praemia consequenda proponuntur, haec nobis indicanda sunt:

Ab Ordine Theologorum hoc proponitur:

Quaenam sit sapientiae in libris Iobi et Prouerbiorum praedicatae natura exponatur.

ab Ordine Iure consultorum:

Entwickelung der juristischen Natur des Erbverzichts im deutschen Recht, concessa, quum de argumento Germanico agatur, uenia, ut praeter morem etiam lingua Germanica tractari possit.

ab Ordine Medicorum:
Geschichte der Diphtheritis faucium seit Bretonneau.

ab Ordinis philosophorum prima classe proponitur:
Exponatur qua auctoritate M. Tullii Ciceronis oratio de pace post C. Julii Caesaris mortem a. d. XVI. Kal. Aprilis a. p. u. c. DCCX. habita a Cassio Dione lib. historiarum XLIII. c. 23—33. relata esse uideatur.

ab eiusdem Ordinis classe altera:
Psychologische Entwickelung der Lehre vom Willen, in kritischer Berücksichtigung der vornehmsten neuern Ansichten und in Darlegung der wesentlichen Beziehungen zu den ethischen Wissenschaften.
ab eiusdem Ordinis classe tertia:
Darstellung der Hauptsätze der Eliminationstheorie nach den von Herrn Kronecker in den Monatsberichten der Berliner Akademie der Wissenschaften vom 21. *December* 1865 *gegebenen Andeutungen.*

His argumentis propositis, Commilitones humanissumi atque ornatissumi, iam habetis in quo uires uestras experiri studiorumque diligentiam et assiduitatem nobis probare possitis. Speramus autem fore, ut in singulos annos hoc ipsum certandi studium crescat atque efflorescat. Eos autem, qui anno, qui instat, in hoc certamen descendere statuerunt, rogatos uolumus, ut scripta, quae ad nos dabunt, adiunctâ scidulâ obsignatâ, quae nomen auctoris contineat dictoque eodem quo scriptum, notata sit, ante Kalendas Augustas proxumi anni decanis tradant.

P. P. Lipsiae die mens. Nouembr. primo a. MDCCCLXUIII.
